



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Censuris, In Qua Sex Disputationibus De Poenis Ecclesiasticis, deque
Irregularitate fusè tractatur, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

XXVIII. Expenduntur excommunicationes extra corpus iuris Pontifici
reservatae aduersus Cardinales, Episcopos, Praelatos & officiales
Ecclesiasticos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76667)

quod intelligendum est posita sententia saltem declaratoria criminis: Vti notat Nauarr. *notab.* 31. numero 44. Axor. t. 3. lib. 12. cap. 24. *quæst.* 86. Filliucius *tract.* 15. cap. 9. *quæst.* 4. Item reddunt inhabiles ad illa omnia officia, & beneficia, & ad quæcumque alia, & insuper arbitrio iudicis sunt puniendi pro vitiosiusque delicti qualitate, & aliorum exemplo dignum fuerit: illis tamen qui rem adhuc incognitam, complicisque, ac fautores, & socios detexerint, impunitas conceditur.

Hæc pœnæ comprehendunt omnes clericos, Religiosos, & laicos vtriusque sexus siue familiares curiæ, siue vndeunque alios. Sed an comprehendantur Cardinales, & Episcopi? Difficultate non caret. Videtur namque non comprehendi, quia nomine clericorum esto in lege fauorabili veniant omnes in dignitate constituti, non autem in lege pœnali, & odiosa: vti tradit Abbas in *Rub. de vita, & honest. clericor. num.* 4. & aliis relatis Sanch. lib. 6. in *decal. cap.* 15. *num.* 74. Sed longè verius est sub hac constitutione comprehendi Cardinales, & Episcopos, & à fortiori quoslibet alios Clericos in dignitate constitutos. Nam quamvis secundum frequentem loquendi vsum nomine clericorum non soleant Episcopi, & Cardinales neque personæ in dignitate constitutæ intelligi; attamen in præsentia ex subiecta materia, & legis sine comprehensio intelliguntur. Quippe Pontifex suam domum, & curiam intendit hac constitutione ab illa iniqua gratiæ, vel iustitiæ concessione, & negotiatione purgare. At huiusmodi finem non consequeretur, si Episcopos, Cardinales, aliosque in dignitate constitutos non comprehenderet, cum hi sint præcipuè, à quibus gratiæ, vel iustitia apud Sedem Apostolicam obtinetur. Quinimò nullus qui in dignitate constitutus non sit, valet gratiam, vel iustitiam nomine Sedis Apostolicæ concedere. At concedens gratiam vel iustitiam ex pretio accepto, vel promissione illius acceptata pœnis prædictarum Constitutionum afficitur. Ergo sub nomine clericorum initio constitutionum apposto, omnes Clerici etiam dignitate fulgentes intelliguntur. Ergo etiam intelliguntur Episcopi, & Cardinales, cum nullum fundamentum sit, quare ij excipiantur à nomine clericorum absolute prolati, potius quam reliqui in dignitate alia constituti.

Tateor tamen probabile esse Cardinales, imo Episcopos ob eorum eminentem dignitatem non comprehendi in pœnis additis à Gregor. XIII. scilicet in priuatione beneficiorum, & officiorum, & inhabilitate ad illa, & in infamia, quia cum hæc pœnæ grauissima sit, & statum Cardinalium, & Episcoporum dedecent, si Pontifex eos voluisset comprehendere, absque dubio expressisset. Vti docet Nauarr. *dicto comment. de d. is. & promissis. notab.* 6. *num.* 9. Molina *dicta disp.* 92. *vers.* hæc *Extravagans.* Bonacina *disp.* 2. q. 3. p. 3. numero 16. Excommunicationem, & pœnas in his Extravagantibus contentas extendit Clemens VIII. in Bulla quæ incipit, *Pro commissis nobis*, quæ est decima in ordine illius Pontificis: ad omnes illos qui præfatas actiones faciunt apud quæcumque tribunaia Ecclesiastica, & eorum quocumque summi Iudices etiam laicos alimè Urbis Romanæ curiæ, ac extra eam in quibuscumque locis temporalis ditioni Pontificæ mediatè, vel immediate subiectis. Et licet hæc Constitutio lata fuerit in fauorem boni, rectique regiminis, at non solum promissiones, & donationes pro gratia, vel iustitia directè bonum publicum spectantes prohibentur, sed etiam quæ singulorum bonum, & utilitatem respiciunt, vt bene aduertit Bonac. *disp.* 2. q. 3. p. 31. m. 4. Tum quia hæc Extravag. Bonif. VIII. & Gregor. XII. prohibita erant. Tum quia bonum commune, & rectum regimen ex singulorum actionibus pendet.

32 Decima excommunicatio fertur in Extravag. Ioann. XXII. quæ incipit: *Dierum crescente malitia, sit. de pœnis*, vbi Pontifex excommunicat ex commorantibus in provincia Marchiæ Anconæ eos qui eius Rectores, seu Officiales, Iudices, Thesaurarios seu locum illorum tenentes occiderint, vulnerauerint, captiuauerint, ceperint, detinuerint, insecutive fuerint, vel insultum fecerint contra aliquem illorum, vel in locum vbi moram trahunt, aduersus eos qui in prædictis auxilium, consilium, vel fauorem præstiterint. Addunturque alie pœnæ similes iis quæ statuuntur in *capite felix, de pœnis in 6.*

Hanc constitutionem non videtur improbabile vfu abrogatam esse, sicuti indicat Filliucius *tract.* 15. *cap.* 9. *num.* 93. & colligi potest ex eo quod graues Doctores recentiores excommunicationes in Extravagantibus contentas huius non meminerunt. Vti Tolet. Suar. Sayrus, Nauarr. & alii.

Sed posito quod hæc constitutio in suo primæuo robore permaneat, aduertendum est non comprehendere quoslibet delinquentes, sed eos tantum, qui in prædicta provincia commorantur, vt colligitur ex illis verbis: *In ea provincia moram trahens*, & notauit ibi Glossa, Bonac. t. 3. *de censur. disp.* 2. q. 3. *punct.* 47. *num.* 4. Quare aduena, & peregrinus est aliquam ex præfatis actionibus committat censura, & pœnis huius Extravag. non ligatur. Secundo aduerte, esse satis probabile non contrahi hanc censuram ob offensionem cuiuslibet Re-

toris, Iudicis, & Magistratus, nisi iurisdictionem habeat in spiritualibus, & temporalibus. Vti indicant illa verba Tertus: *Qui pro tempore regimini dictæ provincie in temporalibus, & spiritualibus auctoritate Apostolica præferunt.* Vt tradit ibi Glossa, & Bonac. *suprà.*

Vndecima addi potest ex Extravag. *Diuina de Privilegiis*, in vbi Eugenius I V: excommunicationi, suspensioni, & interdito subiicit Episcopos, aliosque Prælatos, qui venientes ad Romanam curiam causâ negotiorum beneficiorum priuati, & aliis conferunt, & eisdem pœnis afficit recipientes. Hanc Constitutionem explicat *pun.* 1. §. 13. quia coincidit cum excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Solum aduerto vfu receptum esse prædictam Constitutionem non prodesse omnibus curialibus, sed officialibus Pape, Cardinalibus, Cardinalium familiaribus, Iudicibus, & similibus, & his tantum solum prodesse ac extra curiam conueniantur, non verò vt alios conuenire possint, & ad curiam traherent. Quinimò neque etiam prædictis prodesse, si à curia recesserint animo non redeundi, aut longo tempore extra curiam inueniant commorari. *Leg. fin. Cod. de agens. in reb. lib.* 12. aut si Eugeniæ cesserint consentiendo citationi alterius iudicis extra curiam competentis. *Cap. 1. de litis contestat. in 6.* aut si fuerint citati ob causam beneficiorum extra Romanam curiam existentium ex Conc. Trident. *sess.* 24. *cap. 11. de reformat.* Secundo aduerto satis probabile esse Episcopos, & eorum Superiores sola excommunicatione ligari, non suspensione, & interdico, siquidem sub generalibus verbis tantum exprimitur: *vt docuit Suar. de censur. disp.* 37. *sect.* 1. *num.* 8. Filliucius *tract.* 18. *num.* 148. Tertio aduerto excommunicationis absolutiorem referuatam esse non vfu suspensionis, & interdici. Vide Bonac. t. 3. *de censur. disp.* 2. q. 3. p. 3.

P N E C T V M XXVIII.

Expenduntur excommunicationes extra corpus iuris Pontifici referuatæ aduersus Cardinales, Episcopos, Prælatos, & Officiales Ecclesiasticos.

- 1 Expenditur excommunicatio aduersus committentem simoniam in electione summi Pontificis.
- 2 Declaratur excommunicatio aduersus eos qui viuente Pontifice procurant media simonia in Pontificem eligi.
- 3 Declaratur excommunicatio aduersus eos qui non seruauerint formam præscriptam à Greg. X V. in electione summi Pontificis.
- 4 Declaratur excommunicatio aduersus reuelantes vota in Consistorio data.
- 5 Declaratur excommunicatio aduersus eos qui pactum aliquod inierint super futura creatione summi Pontificis ipso viuente, aut vacante Sede.
- 6 Item declaratur excommunicatio aduersus mittentes litteras ad Cardinales in Conclauis assistentes pro electione Pontificis.
- 7 Declaratur excommunicatio aduersus Episcopos, qui contra formam præscriptam à Pio V. beneficia conferunt.
- 8 Item excommunicatio aduersus officiales, sacra Penitentiariæ, qui officia sua fideliter non exeruerint.
- 9 Item excommunicatio aduersus ministros Camera Apostolicæ, non seruantes quæ à Paulo III. præscribuntur.
- 10 Item excommunicatio aduersus gubernatores Romanæ Ecclesiæ recipientes munera.

PRIMAM excommunicationem Pontifici referuatam tulit Iulius II. in Bulla quæ incipit: *Cum iam diuino, quam humano iure aduersus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui Sede vacante in electione summi Pontificis simoniam committunt promittendo, vel recipiendo; ipsaque electio irrita esse decernitur, & insuper sic electus, & electores priuantur dignitate Cardinalitatis, beneficiis, & officiis, nisi intra octo dies postquam fuerint requisiti se conuenerint aliis qui à dicta simonia immunes existunt, concediturque Clero, populoque Romano impunè recedere ab obedientia dicti Pontificis. Quod si ipse se regimini Ecclesiæ ingesserit, possunt Cardinales implorato auxilio Brachij secularis eum remouere, aliamque eligere, ad cuius electionem etiam Cardinales simoniaci concurrere possunt. Extenditur pœna hæc excommunicationis, & priuationis, beneficiorum, officiorum, & bonorum, & inhabilitatis ad illa, ad eos omnes qui quoquo modo in prædictis adiutores extiterint. Deinde ad eos qui huic dispositioni, & Constitutioni contrauerint, seu contra aliquid ibi contentum statuerint, disponere, ordinare, vel aliquo modo facere præsumperint quoquoque quæsitio colore, vel causa, vt latius in prædicta Bulla continetur. Quæ Bulla recepta fuit à Concilio Lateranensi, *sess.* 5. sub Leone X. vbi*

ubi statuitur excommunicatio reservata aduersus eos qui post mortem Pontificis simoniace procurauerint eligi in eius successorum.

Secunda habetur in Bulla Pauli IV. quae incipit *Cum secundum Apostolum*, & est 16. huius Pontificis in ordine, ubi Pontifex ob cauendum periculum captanda mortis summi Pontificis statuit sub excommunicatione ipsi reservata, alii si que penes, nequis uiuente Pontifice procurat mediâ simoniâ in Pontificem eligi, quod praestare censetur, si vota Cardinalium subornauerit, vel ab eis fidem exegerit de futura electione. Nêve Pontifice uiuente, & eo inconsulto tractauerit, seu tentauerit per se, vel per alium uerbis scriptis, seu nuntius de futuro Pontifice eligendo. Tractare autem dicitur, si tradiderit qualiter aliquis in Papam eligi possit, qualiterque Cardinales ad illius electionem possint induci. Secus uero esset si solum affirmaret aliquem ea suprema dignitate dignum esse, non enim inde inferret tractare de eius futura electione, quippe tractatio in praesenti est quaedam tacita illius dignitatis procuratio, & ambitio. Eadem excommunicatio, & poena extenduntur ad mediatores, proterentes nuntios, mandatarios, procuratores seu ad omnes illos qui in praemissis consilium, auxilium, vel fauorem praestiterint, nisi cum primùm commode possint Pontifici, vel alteri ab eo designato reuelare. Ac tandem eidem excommunicationi, & poenis subiciuntur praedictam constitutionem impugnantes: impugnantem autem censentur si affirmet, vel aliquo modo persuadere procurat eam constitutionem in totum, vel in partem esse iniustam, inuoluntariam, irrationabilem, & regimini Ecclesiae minus decentem.

Tertia continet in Extrauag. Gregor. XV. quam Urbanus confirmauit in Bulla quae incipit: *Aeterni Patris*, ubi Cardinalibus sub poena excommunicationis reuelata praeribitur forma eligendi summum Pontificem Sede vacante, & aliter facta electio irrita decernitur, complicitique & fautores huius iurae electionis, tamen Cardinales non sicut, eidem excommunicationi subiciuntur, à qua excommunicatione tenet Bonac. tom. 3. de censur. disp. a. 2. quae. 7. pun. 1. numero 8. absolueri non posse Episcopos uirtute Conc. Trident. neque Religiosos mendicantes uirtute suorum priuilegiorum; eo quod summo Pontificiario haec potestas adempta sit, ubi: *Anullo neque etiam à maiori Praesentiarum, cuiuslibet facultate vigore praeterquam à summo Pontifice nisi in moris articulo absolui possit.* Sed hoc mihi durum uidetur, quia praerogativa Concilii generalis non sunt censenda derogata, nisi manifestis uerbis derogatio fiat. At superiore clausula non est censenda derogata facultas Episcopis concessa in Conc. Trident. quia si uellet Pontifex expressisset, sicut expressit summum Praesentiarum. Maxime cum facultas concessa Episcopis absolueri à reuelatis solum forum conscientiarum spectet, quam compati potest absolutio huius censuræ reuelatio.

Quarta lata est à Leone X. in Bulla 7. illius Pontificis, edita anno 1514. quae incipit: *Superna dispositionis auctore*, quae refertur in Concilio Lateranensi in haec uerba. *Statuimus, ne quis Cardinalium uota in consistorio data, & quaecunque ibi gesta, aut dicta, quae in odium, aut in praedictum, aut scandalum alicuius redundare possint scripto, aut uerbo, vel quouis alio modo reuelat sub poena perjury, & inobedientiae, & quouis tenore à nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente specialiter, & expressè ultra praemissa indictum fuerit super aliqua re silentium, si quis contra fecerit ultra poenas, & excommunicationem latae sententiae incurrat.*

Hanc excommunicationem dubitant Nauatr. & Suar. in praesenti. Et Caietan. uerbo excommunicatio in fine. Et Author libri excommunicationum Pro Episcopatu Bononiensi, cap. 1. de excommunic. n. 2. an uis recepta sit? sed communis sententia affirmat absolute receptam esse, & merito; cum eius observatio bono Ecclesiae, & recto illius regimini maxime expediat.

Quas personas, & ob quas actiones haec excommunicatio afficiat? non conueniunt Doctores. Bonac. t. 3. de censur. disp. 2. q. 7. pun. 2. existimat eos tantum, & non alios comprehendit quibus Pontifex secreto aliquid commiserit, siue Cardinales sint, siue non. Probat, quia esto Pontifex in principio de Cardinalibus locutus fuerit, postmodum uero generaliter, & indistinctè sermonem fecit dicens: *Si quis contra fecerit.* Neque Pontifex uidetur excommunicationem apposuisse aliis quam iis, quibus ipse silentium indixit: nam reuelatores eorum quae in consistorio dicta, vel gesta sunt perituri, & inobedientiae reos esse decernit. Sed longè uerius est haec excommunicatio solos Cardinales comprehendit, eosque comprehendit siue reuelauerint quae à Pontifice sub secreto specialiter, & expressè acceperint, siue quae in consistorio dicta, vel gesta sunt, quae reuelata in odium, praedictum, aut scandalum alicuius redundare possint: ut docuit Filiucius tract. 15. cap. 9. quae. 3. num. 200. Prior pars conclusionis, scilicet solos Cardinales comprehendit inde colligitur, quia textus de solis Cardinalibus loquitur, ut constat ex illis uerbis. *Statuimus ne quis Cardinalium.* Prohibet namque Pontifex ne ullus

ex Cardinalibus reuelat uerbo, vel scripto uota in consistorio data, & quaecunque ibi gesta, aut dicta quae in odium, aut praedictum, aut scandalum alicuius redundare possint; & quocumque ultra haec praemissa à Romano Pontifice specialiter, & expressè indictum fuerit super aliqua re silentium. Notanda enim est dictio *&*, quae copulatiua est praecedentium, & qualitatem praecedentis clausulae in consequenti exprimit. Cum igitur in praecedenti clausula de solis Cardinalibus sermo sit, ut manifestè constat, & concedit Bonac. subsequens clausula de solis Cardinalibus intelligi debet. Praeterquam quod sub eadem clausula continetur, nequis Cardinalium reuelat in consistorio acta, & quae si Pontifice specialiter, & expressè sub silentio fuerint indicta. Quod uero ob reuelationem eorum quae in consistorio dicta, vel gesta sunt, quaeque reuelata in alicuius praedictum, & excommunicationem Cardinales incurrunt; inde mihi persuasum est; quia illa clausula generalis: *Si quis contra fecerit*, refertur ad ea omnia quae in antecedenti statuta sunt. At in clausula antecedenti statutum est, ne quis Cardinalium reuelat uota in consistorio data, & quaecunque ibi gesta, vel dicta, quae in odium, praedictum, aut scandalum alicuius redundare reuelata possint. Ergo haec reuelantes in excommunicationem incurrunt.

Hinc constat te in hanc excommunicationem non incidere, si ea quae tibi Cardinalis iniquè manifestauit, quaeque ipse à Pontifice secreto accepit, reuelas. Tum quia Cardinalis non es, quos tantum haec constitutio comprehendit. Tum quia non reuelas ea quorum silentium tibi indictum sit à Pontifice, tametsi aliis indictum fuerit. In praesenti autem constitutione uidetur requisitum, ut reuelatio secreti ab eo fiat, cui secretum à Pontifice commissum est, quia haec est propria secreti indicti uoluntate in contemptum indicentis cedens.

Quinta lata est à Gregor. XIV. in Bulla quae incipit: *Cogit nos*, & est confirmatoria Bullae Pij I V. incipientis *In eligendis* quae est 81. eiusdem in ordine, ubi Pontifex prohibet omnibus cuiuscunque gradus, & dignitatis etiam Imperialis, & Cardinalitiae sub excommunicationis reuelatae poena, ne promissiones, stipulationes, & pacta, aut pacta, aut contractum aliquem nominatum, aut innominatum faciant super uita, aut morte, aut super futura creatione summi Pontificis uiuente ipso summo Pontifice, aut vacante Sede Apostolica, aut super promotione Cardinalium. Nam esto huiusmodi promissiones, conuentiones, & pacta spectato iure naturae licita sint, ut potè de re dubia, & incerta, at tamen ne illarum occasione Pontificis uiuentis mors caperetur, & futuri electio, aliorumque Cardinalium mediis illicitis obtineatur, iure positio prohibetur tum sub poena excommunicationis, tum sub irritatione contractus etiam iuramento uallari, tum sub obligatione in conscientia restituendi pauperibus pretium, ea occasione receptum. Quas poenas extendit Pontifex ad eos qui in suis teritis, locis suo dominio subiectis tacite, vel expressè praedicta pacta, & conuentiones permiserint. Itemque ad omnes eos qui in praedictis auxilium, consilium, vel fauorem praestiterint.

Sexta fertur in Bulla Pij I V. in ordine 63. edita anno 1562. cuius initium est: *In eligendis Ecclesiarum Praelatis*: ubi Pontifex sub excommunicatione ipsi reuelata prohibet literas, aut cuiusvis generis scripta ad eos qui in Conclau erunt, seu nuntium, vel notam, aut signum mittere, aut recipere, aut e contra è conclau ad eos qui foris erunt. Insuperque prohibet esse non sub excommunicatione, ut clauso conclau nulli ad colloquia etiam extra portam conclaus etiam Principum oratoris nisi ex magna, & uigenti causa à maiore parte Collegij approbata admittantur. Haec excommunicatio quantum comprehendit mittentes literas, seu secretò cum existentibus in conclau loquentes, lata erat absque reuelatione in cap. ubi periculum, de Electione in 6. Finit huius excommunicationis est, ut electio futuri Pontificis libera omnino sit.

Ex hoc sine non uidebitur alicui improbabile litterarum missionem, & secretam locutionem de alia materia distincta ab electione Pontificis, praesenti constitutione non prohiberi. Nam semper materia legis ex fine ipsius desumenda est. Neque est uerisimile uelle Pontificem eam litterarum missionem, & locutionem prohibere, quae ad suam intentionem non pertinet, neque ei praedictare potest. Neque obstat textum generaliter, & indistinctè cuiusvis generis scripta interdiceret; quia illa uerba *cuiusvis generis* non ad materiam in scriptura contentam, sed ad modum scripturae refertur, ita ut sensus sit, qui literas missas, aut cuiusvis alterius generis, & modi scripta miserit, ex quorum missione, vel receptione libera Pontificis impediri possit electio excommunicatus existat. Ex eodem etiam sine desumendum est, an litterarum missio grauitatem peccato mortali requisitam attingat. Si enim ex se leuiter nocere possit, & non grauitè intentioni Pontificis à peccato mortali, & consequenter à censura excusabitur. Nihilominus consultum est à qualibet litterarum missione, & secretis

secretis

secrèta locutione omnino abstinere. Tum ob scandalum. Tum quia (altem in foro exteriori dum veritas non manifestatur) sic litteras mittens, recipiens, & secrèd colloquens excommunicationi subiectus erit.

7 Septimam excommunicationem tulit Pius V. in Bulla quæ incipit: *Quonia*, ubi Episcopos, & quoscumque alios, qui contra formam ibi præscriptam beneficia conferunt, suspendit. Quod si suspensionem ipsam violaverint excommunicationi sibi reservatæ subicit. Capitula verò, & communitates loco excommunicationis à Divinis suspendit, & interdicit. Hanc excommunicationem latè explicui *tract. 13. de benef. dispur. 6. pun. 2. §. 1.*

8 Octava excommunicatione fertur in Bulla Pij V. 83. quæ incipit: *In omnibus rebus*, ubi Pius V. v. recta, & purè expeditioni sacræ penitentiarie consulere, statuit ut illius officiales officia sua per se ipsos tum diligenter, tum etiam fideliter exerceant, solique præsentis, & actû exercentes nisi legitime impediti fructus, & emolumenta percipiant, quorum singulis certum, statutumque aliunde stipendium cuique conveniens decernit assignari, quo solo præcepti contentus esse debere, nihilque aliud etiam sponte oblatum à partibus, aut aliàs sine pro expeditionis celeritate, sine pro alio extraordinario labore tam procurando, quam scribendo, aut recognoſcendo, & examinando capere possint. Quicumque secus fecerint officio suo huiusmodi privari excommunicationis reservatæ sententiâ ipso facto subiciuntur.

Dubium tamen est, An hæc excommunicatio afficiat non solum recipientes aliquid à partibus, aut aliunde ultra stipendium assignatum, sed etiam recipientes stipendium assignatum, cum abque legitima causa absint, & per se officium non exercent? Afirmativa pars videtur vera, eo quod clausula illa in fine posita scilicet, *Quicumque secus fecerint*, &c. ad omnia præcedentia referri debet, cum non sit specialis ratio, ob quam potius referatur ad recipientes aliquid ultra stipendium, quam ad recipientes stipendium officium non exercentes: quippe utrumque æquanimiter in præcedenti clausula prohibetur. Atque ita tradit Filliucius *tract. 15. cap. 9. §. 8. num. 209.* Rectius tamen oppositum innuit Bonac. *1. disp. 2. §. 7. pun. 6.* solos recipientes aliquid ultra fructus, & stipendium sibi assignatum hac excommunicatione comprehendi. Ducor, quia hæc excommunicatio lata est, ut *num. præced. dixi*, ut concessiones sacræ Penitentiarie purè, & rectè expedirentur, at huic sincerae expeditioni non obstat indebita receptio stipendij à Pontifice statui, benè tamen obstant munera recepta à partibus, aut aliàs utpote quæ valent Officiales pervertere. Ergo sola horum receptio excommunicatione puniatur. Neque credendum est velle Pontificem ob quamlibet infidelitatem, & negligentiam in exequentibus expeditionibus commissam ab officialibus sacræ Penitentiarie hac censura ligari. Quod necessarium forendum esset, si excommunicatio ad omnes præcedentes actiones referretur. Quapropter dicendum censco clausulam illam: *Quicumque secus fecerint* non ad omnia superius contenta, sed ad ea quæ immediatè præcederunt, quæque constitutionis fini obstant, referenda esse.

9 Nona habetur in Extrava. Pauli III. & est 40. eiusdem, incipitque; *Cum sicut accepimus* adversus thesaurarios, mercatores aliosque ministros Cameræ Apostolicæ, computa administrationum, locationum, affectuum, partitorum, & exactio num reddere debentes, si huiusmodi computa videlicet integrum debitum, & integrum creditum non deseripserint, vel si aliquid penes se, aut eorum ministros, aut ab eis dependentes retineri facere directè, vel indirectè quovis quæsito colore ausi fuerint, vel si coacti per Cameram Apostolicam ad reddendam rationem de exactis, vel administratis ante tempus finitum, vel durante exactio ne, integre non deseripserint totum id quod tempore dationis rationis, seu computorum ad eorum, vel ministrorum, aut agentium suorum manus pervenit. Actiones ob quas hæc excommunicatio fertur, & personæ quibus imponitur ex nuper dictis manifestæ sunt. Finis autem huius constitutionis est præcavere damnum, quod Cameræ Apostolicæ potest contingere, si in hac constitutione præscripta fideliter, ac diligenter non serventur.

10 Decima continetur in Extrava. Pauli II. & est 3. eiusdem, cuius initium est: *Munera*. Quam constitutionem Sixtus IV. in Bulla 15. quæ incipit: *Estis*, confirmavit, ubi Paulus II. prohibet, ne Rectores, & gubernatores, alique Officiales Romanæ Ecclesiæ, vel etiam Legati à latere ad regimen & gubernationem provinciarum, civitatum, ac terrarum Romanæ Ecclesiæ deputati, vel deputandi à provinciis, civitatibus, vel terris quibus præsent, vel officia exercent, aut à singularibus suæ legationis regimini, vel gubernationi suppositis aliquod genus muneris, aurum, argentum, vestem, aut equum, vel alterius cuiuslibet speciei accipiant præter esculenta, & poculenta, quæ intra biduum consumi possunt: alioquin tam dantes, quam recipientes etiam si pontificali præfulgeant dignitate (dummodo non sint factosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui in sacro Collegio coram Pontifice sponte sua obuletunt, & promiserunt non recepturos huiusmodi mune-

ra) ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt, à qua absoluti non possunt nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti. Hæc constitutio comprehendit tantum iudices status Ecclesiastici, & non quolibet, sed locorum Pontifici subiectorum. Vt in hac excommunicatione incidant recipere munera debent ab iis qui ipsi subditi sunt, vel apud quos sua officia exercent, quia horum munerum receptione periculum est ut à iustitia deflectant. Dantes verò iis munera excommunicatione ligantur, quia huic periculo pererfionis occasione præbent. Præter excommunicationem obligantur recipientes reddere omne id quod acceperunt, & aliud tantumdem. Quoad eam partem, quæ tantumdem reddere tenentur, certum existimo sententiam saltem declaratoriam criminis requiri, ne suæ propriæ penæ sint executores se priuando dominio acquisito. At quoad partem, quæ acceptum obligantur reddere, reputo probabilius seculis sententia obligari, utpote rei cuius dominum non est illis acquisitum.

Sed cui facienda est restitutio? Bonacina *1.3. disp. 2. §. 7. pun. 8.* censet pauperibus integram restitutionem faciendam esse, tam eius cuius restitutio sola pœnali constitutione debetur, quam illius quod acceptum est, quia non est verisimile velle Pontificem aliquid reddi donanti, cum ipse iam rei reditæ dominum abdicavit, indignisque factus est ob crimen commissum, cui res tradita reddatur. Veriorem tamen censco sententiam Filliucij *tract. 15. cap. 9. §. 3. num. 210.* afferentis rem acceptam restitui posse donanti ante sententiam condemnationis; aliud verò tantumdem, quod pœnali constitutione restitui præcipitur foris pauperibus restituendum esse. De hac secunda parte nemini est dubium, cum obligatio restituendi illam quantitatem solum ex lege pœnali proveniat, & postea sententia condemnatoria, quæ nunquam donantem, sed pauperibus, alique operibus piis restitutionem applicat. Priorem partem probò, quia cum rei acceptæ dominum non sit translatum in accipientem, eo quod translatio lege impediatur, videtur penes donantem remanere, quia in illo donans prioriter sententia declaratoria criminis requisita est. Sicuti requiritur ad obligationem restituendi illius tantumdem quod acceptum est.

PUNCTVM XXIX.

Expendantur excommunicationes reservatæ extra corpus iuris, adversus Clericos, & Religiosos.

- 1 Expendantur excommunicatio adversus Ecclesiasticas personas, quæ Ecclesiasticos ad forum laicale trahere præsumpserint.
- 2 Item excommunicatio adversus eos qui beneficia conferunt animo declarato, ut beneficium sibi, vel alteri regnerint.
- 3 Item excommunicatio adversus Clericos Episcopo inferentes, qui obviantes à Pontifice Ecclesiæ parochiales cum iuramento illis intra certum tempus personaliter inferendi, iuramentum non adimplent.
- 4 Item adversus declarantes scripturam contra proprium sermum.
- 5 Declarantur excommunicatio adversus ingredientes Monasteria Monialium absque licentia Episcopi.
- 6 Declarantur aliæ excommunicationes contentæ in particularibus privilegiis.

PRIMA excommunicatio adversus Clericos enumerari potest, quam tradidit Martin. V. in Bulla 10. eiusdem quæ incipit: *Ad reprimendos*, edita anno 1428. adversus personas Ecclesiasticas cuiuscunque dignitatis existant, quæ aliam personam Ecclesiasticam, collegiam, vel conventum in actione reali, mixta, vel personali, civili, vel criminali, etiam occasione cuiuscunque summisionis etiam iuramento vallata, vel aliàs ad forum, seu iudicium laicale directè, vel indirectè trahere præsumpserint, Deinde excommunicantur ipsi iudices seculares iurisdictionem in Ecclesiasticos exercentes, & omnes alij qui prædictæ actioni cooperari fuerint mandatis, auxilio, consilio, vel favore, aut eam ratam habuerint suo nomine, & mandato factam. Hæc excommunicatio quoad priorem partem differt ab excommunicatione Bullæ Cæteræ nam in Bulla Cæteræ excommunicantur tam seculares, quam Ecclesiastici trahentes personas Ecclesiasticas ad iudicium seculare, non quidem autoritate Ecclesiastica, sed seculari: at præsentem Constitutionem excommunicantur Ecclesiastici, qui autoritate Ecclesiastica non laicali ad seculare tribunal trahunt Ecclesiasticos. Quæ excommunicatio non videtur reservata. Quoad secundam verò partem in Bulla Cæteræ Domini continetur, ibique & in præsentem referenda est.

Secundam excommunicationem tradidit Pius IV. in Bulla 85.